



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Extra diuinam nihil est voluntatem appetendum. Cap. XLII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Extra diuinam nihil est voluntatem
appetendum.

CAPVT XLII.

Prælati
quomodo
consultan-
dus atque
rogandus sit

Resignare ut
se debeat ho-
mo in diui-
nam volun-
tatem.
Mat. 6.

Diuinum beneplacitum, omnium sit viarum tuarum regula & directio, ut neque consentias neque dissentias in quamcunque rem, nisi iuxta hanc regulam. In rebus etiam necessarijs esto patiens Deo & resignatus, ut non leuiter, nisi urgeat necessitas, quid à Prælato petas. Quod tamen antequam petieris, resignate Deo, eadem de re, quam cupis libenter diuiniusque velle carere, si Deo placuerit, hoc est, si prælati rem ipsam negauerit. Voluntatem enim Domini ex eius intelliges voluntate. Hæc itaque intentione, hoc pacto accedendus, consultandus, rogandusque est Prælati, non ut succipias, quod cupis, sed ut ex eo, quæ sit Dei voluntas, discas, eademque consentias. Si multum de futuris cogitaueris, si timueris vehementer, nihilominus quod eueniet, eueniet, ideo te committe Deo, dicens: *Miserere domine Iesu, optime Domine, fiat voluntas tua, non potest quod tu vis esse malum, sed ordinatissimum sit necesse est, quicquid de te procedat. Non aliud aliter ve desidero tecum fieri, quam tu ordinasti, aut quæ tibi placet. Si me vis habere infirmum, sit nomen tuum benedictum, & fiat voluntas tua. Si vis me habere sanum, sit æque nomen tuum benedictum, & fiat voluntas tua. Si vis me mori, sit nomen tuum benedictum & fiat voluntas tua. Si viuere, sit nomen tuum benedictum & fiat voluntas tua. Hoc tantum obsecro, fac in tua semper gratia sim ac maneam. Nihil desiderem, nihil optem, nihil velim, nihil agam aut possim aliud præter illud quod tibi placet. Itaque in omnibus sic inuentar, sic me habeam, quomodo perfectissime tibi placet.*

Patientia ac mititas in quibus, ad quos, & propter
quid seruari debeant.

CAPVT XLIII.

Turbari nõ
debet ho-
minem pro-
pter aduersi-
tates.

Mat. 6.

Propter aduersitatem quamcunque homo non debet turbari. Quid enim iuuat turbatio, nisi quod consilij inopem, distractum, amarum reddat, & ad omnia ineptum? Consultare tamen super aduersis imminentibus licet, quomodo si licet, aut patienter toleretur sapienter amoueat, idque propter & iuxta Dei beneplacitum. Huic nanque in omnibus Dei seruum esse maxime oportet subiectum. Circa ea igitur quæ diuinæ tantum dispensationi ac prouidentie subiacent anxie prorsus omnes cogitationes sunt abiciendæ. Porro de futuris malis, atque an eueniant ambigujs, ne cogitandum quidem. Sufficit enim dicit malitia sua. Noli igitur tu miser esse ante tempus. Noli præterea in ijs quæ præsto sunt, calamitatibus animo incerorem molestiamque conduplicare, ut simul præsentem feram molestiam patiendo, & futuram timendo. Solutum est propter tempestatem, auræque variationes turbari. Hæc enim semper nobis fuere incerta: Deo verò ab æterno cognitum est hæc horam hocque